



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XV. Hatto II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

helmus virtutibus exornavit, ipse virtutibus multis maximè illustris, & conspicuus omnibusque charissimus. Virtutes profectò eximias suspexerunt in Wilhemo etiam Adelbertus & Dithmarus, quos ambos consecravit Episcopos, & horum priorem Russis misit Apostolum, posteriorem verò Bohemis, aut utrisque. Multis dein lacrymīs profecutus est ad tumulum usque populus copiosissimus Wilhelmum añorum 37. ut aiebant, *Iuvenem*, cui D. Mathildis Augusta avia adstanti sibi prædixit fata ultima, & mox absentis intellexit an. 967. eodem mense etiam ipsa mortua, ingenti Ottonis M. mœrore, simul & matrem & filium lugentis. Annis sedit 13. *Rhegino, Rotgerus, Serarius*

## XV. HATTO II.

**H**atto II. Hademarij Præfulis Fuldensis nepos, avunculo suo vitâ functo successit in officio, par eidem, ut aiebant, in virtutibus. Ab Ottone M. etiam permagni æstimatus, & consiliis adhibitus, inter eos fuit, qui Cæsarem Romam petentem præcucurrerunt nuntij. Romam venisse & vidisse profuit plurimùm Hattoni: Imperator enim audita Moguntini Archipræfulis morte, cùm successorem alium, quàm Hattonem non exoptaret, ad vota paratissimum habuit Joannem XIII. Pontificem, qui pallium concessit. At verò non nisi tribus aut duobus Moguntiaë solium occupavit an. 970. jam extinctus fato admodum tristi, si habenda sit fides Heterodoxis Scriptoribus, qui à prodigioso murium agmine consumptum esse finxerunt, quòd multorum pauperum catervam famis tempore sibi oppidò molestam horreo suo includi, & tyrannorum more Vulcano immolari iusserit. *Vide hac super re Serarium*, cui libuit multis aperire mentem suam & dicere sententiam. Nos verò compendio contenti dicamus: *Si contigit Hattoni ita mori, Deus scelerum vindex ostendit signum, quo absterriti divites amore prosequerentur deinceps pauperes. Quid tum postea? quid lucri inde haurient vel Scriptores, vel Lectores Heterodoxi? profectò nihil capio, nihil video, nisi argumentum etiam Heterodoxis relictum, ut nimirum & ipsi credant, istis etiam seculis patrata esse miracula*

*vacula nunc miserentis, nunc punientis Dei testimonia. Lucrum capiant Heterodoxi aliterum, quo discant deinceps credere miraculis, at non tantum sibi, sed & mihi faventibus.*

## XVI. RUPERTVS.

**R**upertus Hattonis successor, cuius originis aut stemmatis foret, inquisiverunt cum Serario authores varij; aliud tamen non invenerunt, quam obscura & dubia omnia, inter quæ numerandi sunt etiam anni sedis, quorum alij 4. alij 7. computarunt. An. 977. diem obiisse suum verior habet opinio, dum nimirum Romæ sedit Benedictus VII.

## PERIODUS III.

## DE ARCHIEPISCOPIS SIMVLQVE ELECTORIBUS MOGUNTINIS.

## XVII. WILLIGISIUS. ELECTOR I.

**W**illigisus Stromingæ in Saxonia seculo X. circa añum 40. ex parentibus tenuis fortunæ natus, literarum studiis & morum probitate, quæ sæpe pauperibus ad ardua viam sternunt, eò sensim ascendit, ut ex Parocho aulae Imperatoriae Archifacellanus, ut vocant, & Ottoni III. à teneris annis supremus moderator constitutus, ob insignia sua merita sit denique promotus in geminum Moguntiaë thronum, an. 977. electus Archipræful & an 998. Imperij Elector primus, ita disponenre Gregorio V. Pontifice & Ottone III. Cæsare, quòd hic hærede se destitutum, & Imperium ex hæredum defectu prioribus seculis fuisse turbatum probè intelligeret, & admodum doleret. Antequam verò hunc ultimum dignitatis apicem conscendit, D. Bervvardum Hildesiaë consecravit Episcopum, & paulò post S. Adelbertum Pragensem Archiepiscopum. Monasterio Hersfeldensi Præsulem dedit Gotthardum; sorores verò Augustas Ottonis III, Sophiam & Adelhaidem